

nium Ducem, ne quid in regnum moliatur, capi jubet. Comitia minime ob ea intermissurum, immo saluberrima eorum decreta executurum affirmat.

Sed in ea rerum omnium permixtione qui propria conscientia territi aliqua se labe aspersos sentiebant, alius alio dilapsi, fuga sibi consulere. Umalius Eques Aurelianum se recepit. Rosserius quamcelerrime Lugdunum ad triste Maynio Duci nuntium perferendum convolat. Inde mandata Regis de eo una cum Claudio Aumalii Mercuriique Ducibus, Carnutique Domino capiendis, aut interficiendis, irrita evasere. Tum imminenti periculo perterriti, amicos clientisque sibi adsciscere coeperunt, arma comparare, milites colligere; ex quibus postea magna molestiarum atque turbarum moles Galliae incubuit. Vix credi potest, quanta consternatione ac moerore eo nuntio Parisienses sint affecti: in rabiem acti, insitae in Reges Gallicae gentis benevolentiae obliti, ad Luparam concursu facto, aedes diripiunt; regia insignia dejiciunt; Henrici nomen expungunt; quotquot ex iis, qui negotia publica tractabant, suspectos, Regique amicos coniectant, in carceres trudent; magnis praconis extinctos Guisios extollunt; eos populi parentes, Galliae servatores, catholicae religionis propugnatores, pro qua sanguinem effuderint, appellant: Maynium Ducem summis acclamationibus evehunt, exposcunt; qui jam in Burgundia copias cogeat, civitates foederi obnoxias in fide atque officio retinebat. Idem Umalae Dux in Morinis curabat, cum Ambianum atque Abbevilla civitates a Rege defecissent; in Armoricis quoque Mercurii Dux fociorum partes tuebatur.

*Parisienses  
ob  
Guisiorum  
necem consternatio,  
in Regem  
odium.*

Dum haec gererentur, in Augusta Taurinorum de Salassiorum negotio acriter disceptabatur, Pygnio Carolum urgente, ni statim ea de re decerneret, discessurum, brevique in suis ditionibus Gallorum arma experturum. Ea re Sabaudus in diversas partes trahebatur; inde metu, ne aestuantes ira Gallorum animi, ac subito impetu furentes, ut mos gentis est, ipsius ditiones invaderent; hinc spe, si cunctaretur, sibi adjunctis Hispanorum viribus, Salassios, quos tantopere concupiverat, retenturum. In ea ambiguitate cum nihil vellet intentatum relinquere, Aloysium Fuscarenum,

ora-